

## DE M. VARRONE A FAVONIO EULOGIO EXPRESSO

---

Perlegenti mihi, quae nuperrime de Favonii Eulogii commentario Ciceroniano disseruit Skutschius<sup>1</sup>, egregiae delectationi erant eae viri doctissimi lucubrationes, quibus inter Favonium atque Chalcidium, Platonis illum interpretem, similitudines quasdam intercedere contendit. Iam vero de similitudinis illius origine vel causa cum disputat, quaestioni, quam movit, quamvis nodosae, quamvis obscurae, brevioribus illis, quae profert, verbis minime videtur satis fecisse. Non erat, cur arma suspenderet in templo, discrimina certaminis critici vix fere vel haudquaquam periclitatus. Etenim cum ponat, Favonium vel Chalcidium vel Chalcedii auctorem secutum esse, rei suffecisse sibi videtur, admodum immerito! Nonnullos enim Favonii locos si perlustraverimus, non modo longe plures commentarii partes videbimus esse, quae concinant cum Chalcedio, quam Skutschius indagavit, sed fontis quoque, unde sua mutuatus sit Favonius, vestigia satis dilucida praesto nobis erunt.

Ac primum quidem ubi de senario numero agit<sup>2</sup>, satis alienus est a Chalcedio. Hic autem ubi senarium numerum circumscribit, mirum in modum alius scriptoris Romani premit vestigia Macrobiani, id quod collatis locis elucebit:

Maer. Comm. in Scip.

Somn. I 6, 12.

Chalced. ed. Wrobel

p. 104, 6.

Senarius vero, qui cum uno coniunctus septenarium facit, variae ac multiplicis religionis et potentiae est: primum quod solus ex omnibus numeris qui intra

Et senarius numerus plenus et perfectus merito habetur, quippe qui sit aequalis iis partibus, ex quibus ipse constat. Habet enim dimidietatem in tri-

---

<sup>1</sup> Philol. LXI 193.

<sup>2</sup> ed. Holder p. 6, 12 sqq.

decem sunt de suis partibus constat. Habet enim medietatem et tertiam partem et sextam partem: et est medietas tria, tertia pars duo, sexta pars unum: quae omnia simul sex faciunt.

In prioribus enuntiati partibus Favonius cum utroque consentit, cum dicit (6, 12 sqq.): 'Senarius vero, qui sequitur, numerus potentem ac divinam naturae suae obtinet potestatem: siquidem τέλειος primus, id est perfectus esse reperitur. Perfectum arithmetici vocant, qui se implet partibus suis. — hic ex dimidia, tertia, sexta coniunctis senarium numerum complet. Nam III, II et I (quae portio est sexta) senariam expedit quantitatem.' — Audiendus etiam Censorinus, qui (d. d. nat. 11, 4) 'nam eum, inquit, telion Graeci, nos autem perfectum vocamus, quod eius partes tres, sexta et tertia et dimidia, id est unus et duo et tres, eundem ipsum perficiunt.

Quod Macrobius senarium 'variae ac multiplicis religionis et potentiae' esse dicit, eundem Favonius 'potentem ac divinam naturae suae obtinere potestatem' contendit, interesse aliquid propinquitatis inter illos nemo negabit. Apud Chalcidium nihii horum.

Iam vero testem adhibeamus neglectum adhuc Martianum Capellam, qui in libro VII<sup>1</sup> ubi de numeris agit de senario profert haec: 'Senarium vero perfectum analogicumque esse quis dubitet, cum suis partibus impleatur? nam et sextam sui intra se continet quod est unus, et tertiam quod duo, et medietatem quod tres.' Permulta autem in septimo Martiani libro e Varrone desumpta esse docet Eyssenhardtus<sup>2</sup>. De Macrobio Censorinoque Varronem secutis videbimus. Favonius autem quae Chalcidio praetermisso verbo fere tenus ad Macrobii similitudinem exprimit de senario numero, nonne Varronem redolent? Quem de principiis numerorum, de arithmetica, de hebdomadibus copiosos conscripsisse libros novimus<sup>3</sup>.

Attamen contra nos facere videntur, quae apud Theonem Smyrnaeum<sup>4</sup>, vel potius, quem exprimit, Adrastum Aphrodisiensem sane simillima legimus illis: Ἐτι τε τῶν ἀριθμῶν οἱ μὲν τινες τέλειοι λέγονται, — — καὶ τέλειοι μὲν εἰσιν οἱ τοῖς αὐ-

<sup>1</sup> p. 260, 21 sqq. ed. Eyssenhardt.

<sup>2</sup> praef. s. ed. p. LV.

<sup>3</sup> cf. Ritschelii opuscc. III 442.

<sup>4</sup> p. 45, 9 sqq. ed. Hiller.

τῶν μέρεσιν ἴσοι, ὡς οἱ τῶν ζ' μέρη, γὰρ αὐτοῦ ἡμισυ γ', τρίτον β', ἕκτον α', ἅτινα συντιθέμενα ποιεῖ τὸν ζ'. Asseveremus paullulum in iis quae de eo numero dicuntur, quem τέλειον arithmetici appellare solebant. Theonem si audimus, huc pertinent ei numeri, οἱ τοῖς αὐτῶν μέρεσιν ἴσοι, simillime Chalcidius (104, 7) 'qui sit aequalis iis partibus, ex quibus ipse constat'. Martianus autem Capella perfectum dicit senarium, 'cum suis partibus impleatur' (l. c.) et Favonius eum, 'qui se implet partibus suis'.

Vidimus Chalcidium sequi Macrobiū, vidimus eundem singulariter concinere cum Theone vel Adrasto, alioquin eius auctore primario<sup>1</sup>. Favonius autem Martiano nec non Macrobio similior. Quid ergo? Chalcidium novimus sequi Peripateticum illum Adrastum, a Theone adumbratum. Adrastus cum Platonis Timaeum commentaretur, facere non poterat, quin Posidoniani commentarii rationem haberet. Varronem quoque multa ex Posidonio hausisse consentaneum verique simillimum est. Quare quod si consentiunt omnes, quos attulimus, in quibusdam, in quibusdam ab alteris alteri recedunt, nil aliud causae est, nisi quod Chalcidius, si quid video, Adrastum exprimit, ceteri Varronem adumbrant.

Pergamus iam ad ea quae de septenario Favonius explicat. Quo de numero auctoritas nobis praesto A. Gelli, M. Varronem 'in primo librorum qui inscribuntur Hebdomades vel de imaginibus' verba fecisse<sup>2</sup>. 'Septenarii numeri, inquit hic, quem Graeci ἐβδομάδα appellant, virtutes potestatesque varias dicit', multaue Gellius profert ex Varronianis, unde, si quis studeat, amissi libri tenorem aliquatenus possit restituere.

Proinde singillatim Favonium de septenario audiamus collatis aliorum testimoniis:

Favon. 7, 25 sqq. quod primus ex duobus diversi generis plenus est, ex tribus imparibus scilicet et quatuor paribus iunctus fit ipse plenissimus.	Macrob. I 6, 21: tertia [sc. coniunctio] est de tribus et quatuor, quae quantum valeat revolvamus.	Mart. Cap. II 108: trias quaternario sociata heptadem facit. VII 738: ex tribus et quatuor septem fiunt.
--	--	--

Porro de planetis in hanc sententiam agit Favonius (7, 28): 'Sidera, quae obluantur caelo, sunt septem, si ad V planetas

<sup>1</sup> cf. Hiller, Mus. Rhén. 26, 582 sqq.

<sup>2</sup> Noct. Att. III 10, 1.

solem lunamque iungamus, totidem circulis evolantia'. Varronis exhibet Gellius haec (III 10): 'Is namque numerus septentriones maiores minoresque facit in caelo —, facit etiam stellas, quas alii erraticas, P. Nigidius erroneas appellat'. Similiter Macrobius (I 6, 47): 'Non parva ergo, inquit, hinc potentia numeri huius ostenditur, quia mundanae animae origo septem finibus continetur: septem quoque vagantium sphaerarum ordinem illi stelliferae et omnes continenti subiecit artifex fabricatoris providentia' (cf. I 6, 18 ad vagas stellarum et luminum sphaeras refertur). Martianus quoque adhibendus VII 738 (262, 24 sqq. Eÿss.): 'Item septem sunt circuli et tot planetae tot dies totque transfusiones elementorum.' Quae de 'sphaera aenea, quae κρικωτή dicitur', disserit, ex Varrone hausta esse Eÿssenhardtus (p. LVII) vidit, qui illius sententias citat a Gellio (III 10) servatas: 'circulos quoque ait (Varro) in caelo circum longitudinem axis septem esse, e quibus duos minimos qui axem extimum tangunt, πόλους appellari dicit; sed eos in sphaera, quae κρικωτή vocatur, propter brevitatem non inesse'. De eodem numero disserens Chalcidius quoque planetas affert (p. 103, 13 Wr.).

Deinde varias lunae species Favonius affert easdem fere quas Macrobius, Martianus Capella, Chalcidius.

Favon 8, 3 sqq.	Macrobius I 6, 55	Martianus Cap. VII 738	Chalcidius
1. ἀνατολή	1. cum nascitur	VII 738	1. bicornis
2. ἀμφίκυρτος	2. διχότομος	1. corniculata	2. sectilis
3. διχότομος	3. ἀμφίκυρτος	μηνοειδής	3. dimidiata
4. πανσέληνος	4. plena	2. medilunia	maior
5. διχότομος	5. ἀμφίκυρτος	διχότομος <sup>1</sup>	4. plena
6. ἀμφίκυρτος	6. διχότομος	3. dimidiatio	5. maior dimidiata
7. συνοδική	7. luminis univ- ersitate privatur.	maior ἀμφίκυρτος	6. sectilis
		4. plena	7. bicornis.
		πληροσέ- ληνος	

(5—7=3—1).

Suetonius quoque in libro quem de naturis rerum conscripsit lunae formas hunc in modum perlustrat: 1. bicornis 2. sectilis 3. dimidia 4. plena 5. dimidia 6. sectilis 7. bicornis (Reiffer-

<sup>1</sup> Sic enim scribendum puto. Eÿssenhardtus: διάτομον. Optimi codices exhibent: dicotomon, in alio libro altera manu mutatum legitur: diatomon, quod Eÿssenhardtus adoptavit.

scheid p. 210). Apud Theonem (103, 19 sqq.) hanc partitionem invenimus 1. διχότομος 2. πλησιέλης 3. διχότομος 4. σύνοδος. Primam lunae speciem Philo quoque Alexandrinus sicut Martianus μηνοειδή appellat. Chalcidium maxime cum Suetonio vidimus consentire, ita ut illinc quoque nonnulla desumpta esse reamur. Iam vero Posidonium ipsum adhibeamus testem, etenim [Ποσειδώνιος καὶ οἱ πλείστοι τῶν Στωϊκῶν] σφαιροειδῆ <δὲ τῷ σχήματι> σχηματίζεσθαι δ' αὐτὴν πολλαχῶς, καὶ γὰρ πανσέληνον γιγνομένην καὶ διχότομον καὶ ἀμφίκυρτον καὶ μηνοειδῆ (Diels Dox. 357b 14 sqq.). Omnes pendere videmus a Posidonio, ut suspicor, interprete Varrone; Chalcidius autem consulebat Suetonium.

In his certe Favonium a nullo magis aberrare quam a Chalcidio videmus. Martianus, qui omnia, quae de hebdomade profert, Varroni videtur debere<sup>1</sup>, Graeca cum versione Latina promittit, ad exemplar, ni fallor, eiusdem Varronis. Latina concinunt maiorem in partem cum Chalcidio, Graeca cum Macrobio et Favonio; non omnia, certe multa. Nonne Varronianum recuperavimus? Maxime illorum consentiunt inter se Macrobius et Martianus, quibus haec addenda:

Gellius III 10, 6  
nam die [duo] detricesimo luna, inquit (sc. Varro), ex quo vestigio profecta est, eodem redit. — Quod is numerus septenarius, si ab uno profectus dum ad semet ipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat, ipsumque se addat, facit numerum octo et viginti: quot dies sunt curriculi lunaris.

Macrob. I 6, 52  
Huius ergo viginti octo dierum numeri septenarius origo est. Nam si ab uno usque ad septem quantum singuli numeri expriment, tantum antecedentibus addendo procedas, invenies viginti octo nata de septem.

Mart. Cap. VII 738.  
Hic numerus lunae cursum significat: nam unum duo tria quattuor quinque sex septem viginti octo faciunt.

Quae de septem motibus animi Favonius (8, 7 sqq.) a Macrobio non aliena profert (I 6, 42 sq.), levioris tamen momenti

<sup>1</sup> v. Eyssenhardtii praef. in Mart. Cap. p. LV.

sunt, cum praesertim reliqui taceant, quam quae verbo tenus exhibeantur. Chalcidius ne in his quidem sequitur ille. Sed perendum ad corporum motus:

Favon. 8, 15 sqq.

Sunt ergo animi motus septem; at vero corporum totidem. Primus est circularis, una linea comprehensus. Reliqui sex, dexter sinister, sursum deorsum, ante post.

Macrob. I 6, 81

septem motibus omne corpus agitur: aut enim accessio est aut recessio aut in laevam dextramve deflexio aut sursum quis seu deorsum movetur aut in orbem rotatur.

Iterum vacat Chalcidius. Venimus ad foramina corporis humani septem:

Favon. 8, 19	Macrob. I 6, 81	Mart.Cp.VII 739	Chalcid. 103, 4
Diximus supra	Et quia sensus	dehinc ideo	Dinumerantur
quinque sensus	eorumque mini-	homo septem	quoque sensuum
esse corporeos.	steria natura in	meatus habet in	omnium, qui
Hi septem foraminibus	capite velut in	capite sensibus	sunt in capite,
emituntur: II sunt	arce constituit,	praeparatos,	septem meatus:
visionis, II auditus,	septem foraminibus	duos oculos au-	oculorum, au-
I gustatus	nibus sensuum	resque et nares	rium, narium
atque I est odoratus,	celebrantur officia,	totidem et os	atque oris.
septimus tactus, qui per	id est oris ac deinde	oculorum narium et	
totius corporis membra	oculorum narium et	aurium binis.	
diffusus est.			

Favonius a reliquis discrepat, cum odoratus foramen appellet unum addatque septimum tactum. Skutschius emendat: 'atque duo sunt odoratus, quintus tactus — — (nullum habet foramen)'. At audiamus Tullium, qui (de nat. deor. II 56, 140 sq.) de sensibus agit. 'Sensus autem, inquit, interpretes ac nuntii rerum in capite tamquam in arce mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi tamquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere.' Pergit ad aures, ad nares, ad gustatum, denique 'tactus autem, inquit, toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus omnesque minimos et frigoris et caloris appulsus sentire possimus.' In primo Tusculanarum autem (10, 20) legimus: 'Plato triplicem finxit animum: cuius principatum id est rationem, in capite, sicut in arce posuit.' Minucio Felici (Octav. 17) 'omnes ceteri sensus velut in arce compositi', Lactantio (de opif. mundi 8)

'in summo capite *conlocata tamquam in arce sublimi*' videntur. cf. Favon. 8, 24: 'ministros eidem sensus septem veluti fenestris emitti manifestum est, cum illos Minervae *tamquam in arce positae* subiecerunt.' Ciceronem hos sequi plurimi dicunt, sed ille in primo Tusculanarum libro eundem exprimit quem Varro in primo antiquitatum rerum divinarum, Posidonium<sup>1</sup>. Nescio an illa quoque ex Varrone derivata sint. Theo obiter stringit his: καὶ πόροι δὲ κεφαλῆς ἑπτὰ (104, 14 sq.), Posidonium, ni fallor, Adrasto teste, secutus.

Septenarius numerus auctore Favonio 'merito Minerva sine matre, virgo sine procreatione perhibetur' (9, 20), cf. Theon. Smyrn. 103, 3: 'Ἀθηνᾶ ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν ἔκαλεῖτο, οὔτε μητρός τινοσ οὔσα οὔτε μήτηρ', Macrob. I 6, 11: 'Pallas ideo, quia ex solius monadis fetu et multiplicatione processit, sicut Minerva sola ex uno parente nata perhibetur.' Mart. Cap. p. 262, 14 sqq.: 'Quod nullo nascitur, hinc Minerva est, et quod ex numeris tam masculinis quam feminis constet, Pallas virago est appellata,' Chalcid. 102, 10: 'proptereaue Minerva est a veteribus cognominatus, item ut illa sine matre perpetuoque virgo.' Agnoscimus Posidonium stilo Varronis posteris traditum.

Favon. 9, 4	Chalcid. 101, 13 sqq.	Mart. Cap. VII 738
<p>dias et paritur ex singulis et ex se quaternarium creat. Trias non equidem paritur, quia non similibus numeris coeuntibus aggregatur, sed generat sex. Quinarius ipse non paritur, sed decimum ex duobus sui similibus parit; in quo, ut dictum est, crescentium finis est numerorum: quorum ratio caeteris in versibus sub maiore summa repetitur. Sex paritur quidem, sed ipse non</p>	<p>Etenim duo duplicati pariunt quattuor numerum. tria nullo duplicato nascuntur, ipsa autem duplicata pariunt senarium numerum. quattuor numerus et paritur et parit: paritur quidem a bis duobus, parit autem duplicatus octonarium numerum. rursum quinque numerus a nullo nascitur bis subputato, ipse autem bis subputatus parit decem. item sex numerus nascitur quidem ex du-</p>	<p>omnes numeri intra decadem positi aut gignunt alios aliisque gignuntur aut procreantur: hexas octas generantur tantummodo, tetras autem et creat et creatur, at heptas quod nihil gignit, eo par virgini perhibetur —</p>

<sup>1</sup> Schmekel, Zur Geschichte der mittleren Stoæ p. 144.

parit: duodecim namque secundi versus incipit habere reliquias<sup>1</sup>. Octavus vero ex duobus quaternariis exortus, in sedecim duplicatus exundat: paritur ergo, non parit. Enneadem tres triplicati pariunt: duodevicesimus secundi versus est numerus, qui a lege creandi diversus est. Decas: natus quidem ex bis quinibus cognoscitur, sed XX, quos colligit duplicatus hic numerus, non possunt dictae rationis habere consortium.

plicato triente, parit autem infra decimanum litem neminem. octavus nascitur ex bis subputatis quattuor, ipse autem neminem parit. nonus nascitur ex tribus, ipse autem neminem parit.

decimus nascitur ex duplicato numero quinque, ipse porro neminem parit.

Similia Theo (103, 6 sqq.): τῶν γὰρ ἀριθμῶν τῶν ἐν τῇ δεκάδι οἱ μὲν γεννῶσιν τι καὶ γεννῶνται, ὡς ὁ δ' γεννᾷ μὲν μετὰ δυάδος τὸν η', γεννᾶται δὲ ὑπὸ δυάδος· οἱ δὲ γεννῶνται μὲν, οὐ γεννῶσιν δέ, ὡς ὁ ζ' γεννᾶται μὲν ὑπὸ β' καὶ γ', οὐ γεννᾷ δὲ οὐδένα τῶν ἐν τῇ δεκάδι· οἱ δὲ γεννῶσιν μὲν, οὐ γεννῶνται δὲ, ὡς ὁ γ' καὶ ὁ ε' γεννῶνται μὲν ἕξ οὐδενὸς συνδυασμοῦ, γεννῶσιν δὲ ὁ μὲν γ' τὸν θ' καὶ τὸν ζ' μετὰ δυάδος, ὁ δὲ ε' γεννᾷ μετὰ δυάδος αὐτὸν τὸν ι'. μόνος δὲ ὁ ζ' οὔτε συνδυασθεὶς τι γεννᾷ τινα τῶν ἐν τῇ δεκάδι οὔτε ἐκ συνδυασμοῦ γεννᾶται. ἐπόμενος δὲ τῇ φύσει καὶ ὁ Πλάτων ἕξ ἐπτὰ ἀριθμῶν συνίστησι τὴν ψυχὴν ἐν τῷ Τιμαίῳ. ἡμέρα μὲν γὰρ καὶ νύξ, ὡς φησι Ποσειδώνιος, ἀρτίου καὶ περιττοῦ φύσιν ἔχουσι. En habemus unde manarint illa, commentarius Posidonii in Platonis Timaeum hic quoque in promptu est, extatque quaestio sola, num Varro Posidoniana scriptoribus illis Latinis tradiderit, an e Graeco fonte hauserint. Nescio an hic sicut alioquin M. Terentium de septenario numero locupletissimum auctorem adumbrarint, praesertim cum ea, quae sequuntur ex eodem pendeant.

Magnam septenarii numeri vim in hominum vita esse de-

<sup>1</sup> de Winterfeld in *Corrigendis* a. 1., cf. Skutsch p. 194.

monstrant Favonius (9, 22—10, 4) Varro Philo Theo, Martianus, Macrobius, Censorinus Chalcidius (II. cc.), Vindiciani fragmentum medicum<sup>1</sup>, nec ab ullis ulli maiorem in modum discrepant. Ceterum Varro rem in libro qui inscriptus erat Tubero de origine humana tractaverat<sup>2</sup>. Quae deinde Favonius (10, 4) de septem musicorum vocibus in eodem rerum contextu profert, apud nullum inveni praeter Varronem (Gell. III 10). Neque haec Chalcidius habet neque quae apud Favonium de septem hypotheticae conclusionis modis dicuntur (10, 8).

Ad geometrica venimus. De cubo Favonius cum agit, hoc modo nomen vertit: 'κύβον Graeci, nos quadrantal dicimus'. Apud Gellium (I 20) legimus: 'quadrata, quae κύβους illi, nos quadrantalia dicimus'. Totus autem ille Gelli locus a Varrone desumptus est, qui vel ipse nuncupatur. Versionem illam ceteri non habent, quoad video, certe Favonium ex fonte Latino, non Graeco hausisse veri simile est. Cogitandum est de Varrone. De eisdem rebus geometricis agunt Macrobius (I 59; II 2, 5) Martianus Capella (p. 246, 16 sqq.) Chalcidius (p. 97 sqq.) alii. Longum est omnia referre, quae quisque singillatim cum altero communia habeat, quae non habeat. In universum nihil credere prohibet, in his quoque posteros Reatini vestigia pressisse.

Quid, quod ipsum Varronem Favonius citat? Ubi de longitudine, latitudine, altitudine agit (p. 11), de quibus Varro multus videtur fuisse (cf. Gell. I 20), Timaei quoque Platonici mentionem facit, scilicet Varronem sequitur interpretem Posidonii. Deinde: 'Ad hunc, inquit, numerum cybicum, ut Varroni placet, lunaris cursus congruit revolutio, quae XXVII diebus omne tanti sideris lumen exhaurit'. Idem fere simillimis verbis tradunt Macrobius (I 6, 53) et Chalcidius, cuius locum afferam (p. 180, 20): 'luna, quae iuxta cubicum numerum viginti et septem diebus circulum lustrat'. Eundem exprimunt, unus Favonius nominat<sup>3</sup>.

Venimus ad ea, quae similia verbo fere tenus inter Favonium et Chalcidium concinunt. Skutschius, qui singula contulit, Favonium hoc loco ex Chalcidio sua non derivasse putat. Quam

<sup>1</sup> cf. Schmekel l. c. Wellmann, *Fragmentsammlung der griech. Aerzte* p. 41 et 217. Miror Martianum a Schmekelio plane neglectum esse.

<sup>2</sup> Plin. n. h. VII 160, 9. Censorin 9, 1. Diels *Dox.* 201.

<sup>3</sup> Haec breviter iam strinxeram, ubi de Holderi editione Favonii egi (*Wochenschr. f. klass. Philol.* 1901 p. 416), priusquam Skutschius sua de Favonio et Chalcidio prodidit.

affert causam, Chalcidii de diastemate disputationem difficilem esse, Favonii dilucidam, ita ut ille huius auctor putari non possit, improbo. Saepius, ut vidimus, Favonius Chalcidianis sententiis affert verba sua. Etenim si accuratius inspicimus, neuter a neutro discrepat. Chalcidius enim (110, 16 sqq.): 'Haec (sc. systemata musica) autem, inquit, ipsa constant ex certo tractu pronuntiationis, quae dicuntur diastemata', Favonius (15, 5): 'Systematum vero partes ex certo contracto pronuntiationis existunt: quae diastemata Graeci, nos intervalla dicimus.' Apud illum systemata ex tractu pronuntiationis constant, apud hunc systematum partes ex contractu pronuntiationis existunt. Sed utut res se habet, Censorinus quoque διάστημα intervalli voce interpretatur (c. 10). Praeterea quae de prima symphonia Favonius habet, 'quae diatessaron a musicis appellatur' (15, 21), Varronem quoque tractasse, Gellium testem habemus. Dubito an omnia, quae Gellius de hac re (I 20; III 10; XVIII 14) ad Varronis exemplar profert (v. Ritschelium l. c. III 442 sqq.), ex eisdem de principiis numerorum libris hausta sint, cum res ipsae artissime inter se cohaereant, quippe diatessaron symphonia, hemiolius, epitritus, cetera (ll. cc.), ab aliisque velut Marobio (I 6, 44; II 1, 17) tractentur uno tenore. Id quidem pro certo habeo, communem omnium auctorem Posidonium esse. Etenim quae de grammatica cum musica comparata proferunt Chalcidius (110, 9 sqq.) et Favonius (14, 31) plane consentiunt inter se. Utrumque locum attulit Skutschius apud quem conferri potest. Iam vero Theo quoque rem eandem eisdem fere verbis praebet, atque illo quidem loco, quo primum Adrastum citat. Talia enim (19, 6 sqq.) eum dicentem facit: καθάπερ τῆς ἐγγραμμάτου φωνῆς καὶ παντὸς τοῦ λόγου ὀλοσχερῆ μὲν καὶ πρῶτα μέρη τὰ τε ῥήματα καὶ ὀνόματα, τούτων δὲ αἱ συλλαβαί, αὐταὶ δ' ἐκ γραμμάτων, τὰ δὲ γράμματα φωναὶ πρῶται εἰσι καὶ στοιχειώδεις καὶ ἀδιαίρετοι καὶ ἐλάχισται — καὶ γὰρ συνίσταται ὁ λόγος ἐκ πρῶτων γραμμάτων καὶ εἰς ἔσχατα ταῦτα ἀναλύεται — οὕτως καὶ τῆς ἔμμελοῦς καὶ ἡρμοσμένης φωνῆς καὶ παντὸς τοῦ μέλους ὀλοσχερῆ μὲν μέρη τὰ λεγόμενα συστήματα, τετράχορδα καὶ πεντάχορδα καὶ ὀκτάχορδα· ταῦτα δὲ ἐστὶν ἐκ διαστημάτων, τὰ δὲ διαστήματα ἐκ φθόγγων, οἵτινες πάλιν φωναὶ εἰσι πρῶται καὶ ἀδιαίρετοι καὶ στοιχειώδεις, ἐξ ὧν πρῶτων συνίσταται τὸ πᾶν μέλος καὶ εἰς ἃ ἔσχατα ἀναλύεται. Animadvertendum est, illa, quae a Skutschio difficiliora legimus allata de tractu pronuntiationis, longe ab Adraeto aberrare, longius

perfecto, quam cetera omnia, quae Latina Chalcidii cum Graecis Adrasti consentiant. Non video qua de causa in his Favonium a Chalcidio, hunc vel a Varrone vel ab Adrasto suo haerere negemus. Quae sequuntur apud Favonium de diplasio emiolio epitrito resipiunt Varronem. Gellius enim quae de hemiolio et epitrito (XVIII 14) habet teste Ritschelio (l. c.) debet illi; de hemiolio tacet Chalcidius, videamus de epitrito:

Varro (Gell. XVIII 14)	Chalcid. 107, 15 epitritum autem di-	Favon. 16, 23 Tertia comparationis
epitritos est, qui habet totum aliquem numerum et eiusdem partem tertiam, ut quattuor ad tres, duodecim ad novem, quadraginta ad triginta.	cunt intervallum, quotiens numero ad numerum comparato maiorem totum in se continet et eius tertiam portionem. Aequè duodecim limes adversus novem, unam ex medietatibus, comparatus epitritus eius invenitur.	est ratio ex epitrito numero, cum scilicet maior minorem summam non medietate minoris sed tertia eiusdem parte progreditur; ut quattuor ad tria sunt; quamquam enim uno superentur, tamen hic unus non media portio minoris est, sed tertia videlicet.

Favonius cum toto eo loco plura habeat quam Chalcidius, utrumque sequi Varronem arbitror. Ceterum Macrobius quoque testis est adhibendus; 'et est, inquit (II 1, 15), epitritus, cum de duobus numeris maior habet totum minorem et insuper eius tertiam partem, ut sunt quattuor ad tria: nam in quattuor sunt tria et tertia pars trium, id est unum: et is numerus vocatur epitritus.' Similiter Censorinus (c. 10, 8), Martianus Capella (VII 761), alii.

Efficitur hinc ut Posidonii in Platonis Timaeum commentarius et Adrasti Aphrodisiensis et Varronis quibusdam in rebus exemplar putandum sit. Favonius autem in nonnullis Chalcidium sequitur, Adrasti sectatorem, permulta debet Varroni, quippe quem ipse nuncupet. Inutiles esse certo scio de Favonio, ignobilissimo scriptore, quaestiones, minimique, si per se spectantur, momenti. Neque tamen neglegentur ab eis, quibus fragmenta M. Varronis curae erunt, viri immortalis, cuius doctrina perabundans in posterorum rivis quem ad modum se diffuderit atque circum emanarit, fluminis instar turgiduli prataque sicca irrigantis, nostro tempore perspicitur magis magisque.

Berolini.

Carolus Fries.